adam enoch et cetera que ibi scribuntur. D. Quis post diluuium
M. Post diluuium uero cam filius noe litteras inuenit .xxiii. sicut apollo
nius describit. D. latinas litteras carmentis? nimpha nicostrata mater
euandri. primum italis tradidit. D. Quare dicitur carmentis? M. Quia
carminibus suis futura canebat. Set proprie uocata est nicostrata. D. Iam
quia inuentores litterarum deposuisti dic mihi quid est littera. M. Littera est
pars minima uocis articulate. uel uox que scribi potest indiuidua.
Aliter. Littera est fundamentum sapientie. D. Quomodo? M. Nam sic eradicibus
electa corporalia crescunt. sic ex litteris humanus animus ad perfectum
surgere comprobatur. D. et si littera fundamentum sapientie est cur dixit
apostolus paulus. quod fundamentum aliud nemo potest ponere preter id quod
positum est quod est christus ihesus. M. illud fundamentum de quo paulus dixit fidei
uere stabilitas est. Set artium liberalium fundamentum littera est sine quibus
ars constare nullatenus potest. D. Iam quia de littera singulariter protulisti
nunc peto ut pluraliter dicas quid sunt littere. M. Littere autem sunt
indices rerum et signa uerborum. D. habent littere? M. tantam uim
hebet inullis. ut nobis dicta absentium sine uoce loquantur.
D. Usus litterarum cur repertus est? M. propter memoriam rerum. quia in
tanta uarietate causarum. nec disci audiendo poterant
omnia nec memoria retineri. Ideoque ne obliuione fugiant
litteris alligantur. D. Iam quia dixisti quid sint littere. nunc posco ut
exponas unde dicuntur littere? dicuntur enim littere quasi legi
tere eo quod iter legentibus prestent. uel quod in legendo iterentur. uel a liturris
ut quibusdam placet. quod plerique antiqui in ceratis tabulis scribere
solebant litteras. D. Quare appellantur littere communes. M.
Ideo communes dicuntur quia omnes illis in commune utimur. D. He littere in quot
partes diuiduntur? M. Principaliter in duas. D. Quomodo? M. In uocales
et consonantes. D. Quare dicuntur uocales quare consonantes? M. Vocales sunt
sicut anime in corporibus, consonantes sicut ipsa corpora. D. Qua ratio
ne? M. Anima uero et se mouet et corpus. sic et iste uocales
per se feruntur: et per se sillabas faciunt; Corpus autem sine anima